VEGETABILIA

IN

HERCYNIAE SUBTERRANEIS

COLLECTA

ICONIBUS DESCRIPTIONIBUS

ET OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATA.

AUCTORE

GEORG. FRANCISC. HOFFMANN,

IMP. ET AUTOCRAT. RUSS. A CONSIL. AULAE, MED. DOCT. ET PROF. P. O. HORTI BOT. MOSQUENS. PRAEFECT. IMPERAT. MEDICO - CHIRURG. ACAD. PETROPOLIT. SOCIET. REG. SCIENT. GOTT. SOD., SOCIET. LINN. LOND. HIST. NAT. PARIS. HAARLEM. LUND. TURIC. JENENS. RATISB. NANCYENS. HANNOVER. MOGUNT. WETTERAV. ERFORD. OECON. PETROPOLIT. PHYSICO - MED. MOSQUENS. EIUSD. HIST. NAT. PHYTOGRAPH. GORENK. ALIARUMQUE MEMBRO.

NORIMBERGAE,

IMPENSIS JOAN. FRID. FRAUENHOLZ.

1811.

PRAEFATIO.

„Adeo parum certi characteres et adeo parum sufficientes descriptiones esse solent antiquiorum scriptorum, ubi de Fungis agunt, ut nihil fere difficilius sit, quam nominum justa adplicatio et ordinatio; cum raro ea attributa, quae privatim singulis speciebus competunt, offerant. Accedit ad hoc, totum ordinem, sub quo ejusmodi vegetabilia poni debent, plurimis varietatibus ipsa sua natura subjectum esse; neque assiduus, quem aliqui recentiores in hoc argumentum contulerunt, labor eo fere adhuc pervenisse videtur, ut ea certitudo, qua in multis aliis plantis determinandis hodie fruimur, inde emerserit.“ *) Quantus vero ab eo tempore, ubi oculatissimus ille Vegetantium occultorum diligens observator, haec scripsit, fuerit labor eruditorum in explicandis Fungorum formationibus, consarciendis classificationibus describendisque generibus et speciebus, luculenter satis probant, tot splendida quae habemus, opera; nec non merito ea laudanda synopsis methodica Fungorum, **) in quam commentarium acutissimi viri confecere cuicunque Mycophilo aeque utilem ac necessarium. ***)

Paucis vero observatoribus datur, si excipias duumviros etiam de his vegetantibus, ut de omni historia naturali multis nominibus immortalibus conspicuos: b. *Scopolium* †) et nobilissimum per omnes terras celebratissimum Eq. *Alexandrum de Humboldt* ††) — in locis subterraneis, non sine periculo et difficultate inaccessis, qualia haec vegetabilia praesertim amant, magnam eorum varietatem, nedum omnes species observare et comparare. Etenim individua Vegetabilium subterranea, ut alibi jam monuit *Scopolius*, viciniora Oceani fundo induunt faciem Lithophytorum, Coralliorum †††) sed Proteo inconstantiora, mutantur infinitis fere modis.

---

*) *D. C. C. Schmidel*, icones plantar. ed. 2. p. 43. 1782. fol.

**) Synopsis methodica Fungorum. Auctore *D. C. H. Persoon.* Pars I — II. Gott. 1801. 8.

***) Conspectus Fungorum in Lusatiae superioris agro niskiensi crescentium. E methodo Persooniana. c. t. XII. aen. pictis, spec. XCIII. sistent. Auct. *J. B. de Albertini*, *L. D. de Schweiniz.* Lips. 1805. 8.

†) *J. Ant. Scopoli*, Dissert. ad scient. natural. pertinentes. Pars I. — Plantae subterraneae descriptae et delineatae. 1772. 8.

††) Florae Fribergensis specimen, plantas cryptogamicas praesertim subterraneas exhibens. Edidit *Fr. Al. ab Humboldt.* Berol. 1793. 4. c. t. aen.

†††) Fungorum quorundam generatio ac multiplicatio verosimiliter, per appositionem novarum partium simili modo perficitur, qualem interpretatus est celebris (*Belvisius*) Auctor observationum sur les Champignons et sur leur manière de croître — par M. *Palisot de Beauvois* — Journal de Botanique. Tome II. No. III. p. 147 — 165. Paris, 1809. 8.

PRAEFATIO.

„Fungi subterranei plerique perennes, immarcescibiles, quorum prototypa a vermibus sub Jove exesa, forte putrescunt. Inter genera hactenus stabilita limites obscuros videbit, qui haec considerat. De corticatis arborum truncis firmantur semitae Fodinarum; et tamen in his tanta diversitas tantaque copia rerum. Unde ergo semina? Quis Proavus Gentis hujus? — "

Movit me istud, ut jam sequenti anno, post meum adventum (Gottingam ad ipsam professionem botanicam administrandam 1792, evocatus) in Hercyniae cryptas descenderem et subterranea cryptogama quaedam emitterem (Comment. Societ. Reg. Gotting. ad A. 1793—94. Vol. XII. Göttingische Anzeigen. 39. St. 1794.) quorum plura hactenus pro dignitate examinata non sunt, perpauca in conspectum Botanicorum perveniunt. Haec autem deserta fodinarum metallicarum inter *Clausthal* et *Zellerfeldt*, inter *Zellerfeldt* et *Andreasberg*, mihi per plures annos plus uno itinere relegere, omnique fere anni tempore peragrare contigit. Atque ita opportunitas nata est, magnum numerum horum vegetabilium colligendi. Quum vero multa Fungorum specimina, ob succulentam indolem vel fugacem naturam ac formam, omni licet adhibita diligentia siccatione tantum mutantur ac deformantur, ut ex iis sapere botanicis non sit facile, in ulterioribus meis itineribus Annor. 1796—1802, per Hercyniae superterrenas et subterraneas regiones peractis, curavi, ut a dexterrimo pictore, quem mihi adjunxeram, recentium exemplarium ad naturam et in loco eorum natali icones fierent, quas in publicum edere jam tum constitueram.

Harum iconum evulgationem liberaliter in se suscepit *J. Fr. Frauenholz*, Vir eximius. Sub hujus igitur cura, operum aeri incisorum venditione non solum occupatissimi, sed etiam de re literaria librorum utilium editione meritissimi — singula excuduntur; picturae observationesque tunc jam pridem confectae, pari studio et elegantia inde ab anno 1797 usque ad 1802, fasciculorum forma in publicum prodibant.

Postquam vero 1804, annorum fere 12, suscepta et gesta horti Gottingensis cura, *Mosquam* discederem, novis procurandi horti commodis admotus, omnique animi cura in iis positis, *) huic operi perficiendo, paucas tantum horas subsecivas, una cum aliis interea elaboratis observationibus, tribuere potui, monitis ac votis Editoris nunc demum, post elapsum fere quinquennium obsecuturus.

Haec qui perpenderit et quod pluribus nocuerit festinatio, praesertim circa vegetantia, quae tot mutationibus succumbunt, a culpa negligentiae, in tanta occurrentium multitudine, retardatam integri operis editionem facile liberabit. —

Mosquae, Id. Jul. 1810.

G. Fr. Hoffmann.

---

*) Hortus Mosquensis. 1810.

CONSPECTUS TABULARUM.

Tabula I. Fig. 1. Boletus *Ceratophora.*
„ *II.* Fig. 1—4. Boleti *polymorphi* specimina duo.
„ *III.* Agaricus *myurus.*
„ *IV.* Agaricus *undulatus.*
„ *V.* Boleti *Ceratophorae* variae formae.
„ *VI.* Fig. 1. Sphaeria *trichoderma.*
„ *VI.* Fig. 2. Peziza *hyalina.*
„ *VII.* Poria *stalactites.*
„ *VIII.* Poria *echinata.*
„ *IX.* et *tabulae X.* Fig. 1. Poria *scutata.*
„ *X.* Fig. 2. Gymnoderma *radiosum.*
„ *XI.* Fig. 1. 2. Poriae *echinatae* varietates.
„ *XI.* Fig. 3. Poria *cerea.*
„ *XI.* Fig. 4. Clavaria *deflexa.*
„ *XII.* Fig. 1. 2. 4. Poria *encephalum.*
„ *XII.* Fig. 3. Poria *favoginea.*
„ *XIII.* Fig. 1. Clavaria *conjugata.*
„ *XIII.* Fig. 2. Poria *spuma.*
„ *XIV.* Fig. 1. Merisma *tremellosum.*
„ *XIV.* Fig. 2. Clavaria *nigrescens.*
„ *XIV.* Fig. 3. Hydnum *agaricinum.*
„ *XIV.* Fig. 4. Dematium *fissum.*
„ *XV.* Fig. 1. Solenia *verticalis.*
„ *XV.* Fig. 2. Boletus *ostrea.*
„ *XVI.* Fig. 1. Gymnoderma *favosum.*
„ *XVI.* Fig. 2. Gymnoderma *rugosum.*
„ *XVII.* Fig. 1. Tremella *gyrosa.*
„ *XVII.* Fig. 2. Himantia *villosa.*
„ *XVII.* Fig. 3. Agaricus *concha.*
„ *XVIII.* Fig. 1. Boletus *flabellum.* Himantia *pinnata.*
„ *XVIII.* Fig. 2. Rhizomorpha canalicularis.

BOLETUS CERATOPHORA.

Tabula I, II, V.

Boletus Ceratophora, pulvinatus ramosus corniculatus fuscus. *Comment. soc. Reg. scient. gotting. Vol. XII, p.* 33. *Tab.* 6.

Ceratophora fribergensis, pulvinata villosa fusca, corporibus clavatis 2 - 4 partitis. *Humboldt, Flor. friberg. specim. p.* 112. *Tab.* 1.

Primordia hujus Fungi expansionem byssinam imitari ſolent, mollem explanatam, undique per ambitum radiosam, fibris arcte ligno putrescenti adhaerentibus. In tanta teneritate clavae imitamen tum jam sistunt, admodum exiguae. Ex floccis enim nivem aliquo modo imitantibus, hinc inde rufescente vel carneo tinctis colore, oriuntur corniculata vel obtusa, tuberculosa corpuscula, sparsa, etiam coagmentata. Illa successu temporis cornicula capaciora fiunt, subteretia ramosa, palmata, digitata varieque divisa, ultimis finibus rigidiusculis, acutis, ſubfuscis, reliqua parte ex ochreo vel croceo rufa, vel quoque primordiali expansioni concolore. Haec formam utique retinent notabilem, clavae similem, usque dum omnia ad destinatam molem pervenerunt. Inde ſit, ut eadem texturae primordialis substantia in plerisque monticulosa expanſa, obsita sit rotundatis, obtusis, articulatis, notis veluti interstinctis, simulac clavatis corpusculis, incertae saepius figurae, adnascentibus tamen plus minusve illis corniculis. Occurrunt etiam specimina ramosissima cornicula, Ramariae non absimilia varieque effigurata, quibus immiscentur clavata et tuberculosa illa corpuscula sic, ut difficile sit dictu, quaenam ex his in alia transierint. Tubercula clavae interea nec non monticuli quibus insident cornicula, tubulos vel poros intercipiunt vagis sedibus dispersos, Boleto similes. Ea demum, quae jam ab origine sua Boleti faciem acceperint, tuberculosa sunt vel pulvinata, poris percursa integris,

etiam conspicuis dimidiatis tubulis, demum confluentibus et substantia Fungi obductis. Corniculata vel clavata corpuscula etiam in hisce non deesse, haud raro inter ipsos poros vel tubulos enasci, vel ex convexa superficie efflorescere, vel Boleto adnasci, consueverunt.

Substantia et superficies omnibus eadem, tomentoso-fibrosa, in foveolas cavata quasi lacunosa ut in facie variolosa. Interior non valde mutatur, semper enim firma satis fibrisque in Spongiae modum intertextis, Boleto igniario arte praeparato non dissimilis deprehenditur; hinc valde bibula humidum adlatum lubenter sorbet, fungosa intumescit, cultello dissecanti resistens, fusco-lutescens, vel nigricans cum fuscedine. Id ipsum tomentum intercipit tubulorum spatiola, intra eos dirigitur, et ad perpendiculum dissecto, vel lacerato Fungo, per axem longitudinalem fibrarum in peripheriam directarum, ejus decursus facile conspicitur.

Transversalis dissectio, praecipue in tuberculosa et clavata illa corpuscula instituta, varia ac inaequalia ostendit lacunosa spatiola, quae exacte iis foveolis externis ac variolis respondent, ovalia, semilunata, oblonga, coloris saturatioris quam reliqua Fungi substantia, texturae laxioris. Aqua enim immissa, particula citius bibula intra haec spatiola, exin fere nigricantia, reliqua substantia tenacius resistente, ex rufo vel croceo tantum fuscescente. Intra haec spatiola eorumque spongiosam ac fibrosam compagem, praecipue organa propagationis contineri, pulvisculum saepe rubellum et nubeculosum, in auram, cultello tentata substantia, avolans, et seminiformia corpuscula ope lentis maxime augentis observata, confirmare videntur. Neque vero unice in his semina sic dicta Fungorum residere puto, neque unice intra lamellas vel tubulos coarctari, sed in variis, per variam eorum substantiam, diffusa ac sparsa esse.

Color coincidit cum toto Fungo primis temporibus, ex pallido ochreus, ex ochreo rufus; atque tandem sordide croceo et fusco proximior fit, quem rufo-nigricans excipit versus senectutem.

Magnitudo aeque variabilis ac totius Fungi mutabilis forma. Ab unciali usque ad pedalem latitudinem et altitudinem extenditur. Summa interim longitudinis mensura, quam invenio, pedem tantum unum cum dimidio aequat.

Odor in recenti haud insuavis, ad Iridem ex mellario petitam quasi accedens; similem Fungus siccus, absque omni praevia praeparatione, facillime scintillam excussam ex silice excipiens, odorem spargit suavem deflagrando.

Duratio perennis; parum mutatur, etiam si extra fodinas sicca tempestas humiditatem Fungo adimit.

Habitatio in fodinis Hercyniae 100, 150 Lachter Tiefe: auf dem Burgstätter Zug in der Carolina und Dorothea; im 13 Lachter Stollen; im 19 Lachter Stollen; auf dem Zellerfelder Zug, in der braunen Lilie, aliisque locis, copiose ligno semidestructo adnasci solet.

OBSERVATIONES.

Observationes desunt et descriptiones apud auctores, quae cognitioni pleniori ministrant. Nemo etiam, excepto nobili viro ab Humboldt, figuras satis fidas, aut descriptiones accuratas dedit. Huic qui novum genus Ceratophora ex eo construxerat, dicitur: Fungus explanatus lobatus intus tomentosus, corpora clavata apice pungentia, proferens, semina in villo stellatim disposita gerens. Neque audeo alia synonyma quaevis certa vocare, quae l. c. produxi.

Clavariis Boletos adsociat et naturae transeuntis, ex una in alteram speciem, ostendit viam. Ipse enim noster Boleto similior, vel ipse Boletus conspicitur: acaulis, effusus cespitosus imbricatus, superne convexus, vesparum nido ex arbore pendenti saepe similis, inferne porosus, pororum tubulis effusis conspicuis parallelis, dimidiatis, confluentibus. Sub hac forma, etiamsi transitionis intermedia specimina communis etiam ortus suspicionem injiciant, tamen meretur, ut peculiari nomine triviali dicatur:

Boletus *polymorphus*, acaulis, expansus, pulvinatus, gibberosus, tomentosus, flavescenti-fuscus, poris laceris perpendicularibus.

In tabula secunda duo exhibentur specimina hujus Boleti, quorum unum id tamen singulare habens, quod ex ejus latere et superficie cornicula prodeant. Figura infima hujus tabulae, ostendit tubulorum, et intra eos tomenti, directionem, suprema, cornicula duo ex minoribus aliis composita interceptis semitubulis.

Tabula prima monstrat specimen Ceratophorae incrementi terminos fere nactum, mediae magnitudinis. Inferius conspicitur portio clavae transversim discissae, ut fa-

brica et duplex substantia, nec non loculorum farinam continentium conditio, in sicco et humido clarius perspici queat. Potuissem certe ex aliquot centum quae passim conquisivi specimina, multo plura in medium proferre, sed tanta formarum discrepantia et varietas est, ut ferme finem non reperias; spero tamen eas, quas dedi figuras, praecipue in

quinta tabula, ad earum omnium cognitionem esse suffecturas. In hac variae adumbrantur formae, quas vegetabile nostrum a primo fere originis principio, usque ad varios incrementi gradus induere solet. Figura suprema repraesentat Ceratophoram tenerae aetatis et quasi modo enatam, quae etsi Byssi in modum expansa sit, clavata tamen corniculata et tuberosa corpuscula jam adepta est. Secunda figura offert superficiem foveis excavatam, quasi scruposam, intermixtis semitubulis. Infima denique exhibet superficiem foveis, seu poris insignitam et in cornicula productam.

AGARICUS MYURUS.

Tabula III.

Agaricus myurus, stipite elongato villoso caudato, pileo campanulato laevi ochraceo fusco.

E compacta brevi ac tomentosa radice plures fasciculati et inter se connexi villoque intertexti egrediuntur stipites, et quando erumpere parant, a ligno cui innascitur radix, ad aliquam distantiam dependent.

Stipes in planta juniori parvus filiformis, per aetatem elongatus flexuosus, in unum latus magis inclinat, pro vegetabilis et pilei ratione satis crassus; quoad formam teres, utrinque attenuatus vel ex latiori paullo basi sensim usque ad pilei proximitatem coarctatus. Antequam huic immergatur plus minusve recurvatus, nudus, reliqua parte tectus villosa hirsutie, seu pilis densis albidis hinc inde rufis patentibus vestitus, quibus tamen non impeditur, quo minus carnosa stipitis-substantia sensim in murinum vergens pelluceat. Ad lentem vitream hi pili accuratius examinati e basi latiori compressa in acumen extenuati, simplices, undiquaque divergentes, pellucidi, pressissime sibi adnati conspiciuntur. Interiora stipitis semper cava sunt, ab imis usque paullo ante ingressum in pilei carnosam substantiam, ubi solidus et tomentoso-fibrosus esse incipit; superficies glabra nitens, e cinereo fusca; substantia tenuis, carnosa tamen et in fibras per longitudinem findenda. De reliquo stipes satis tenax, succosus tamen et mollis, atque in proximitate pilei levissime striatus.

Pileus pro ratione aetatis formam aliquantum mutat. Quamdiu junior est cylindri vel coni obtusi fere figuram sequitur, atque tunc tenui membrana stipiti adhuc nectitur, quae limbo ejusdem sensim dilatato rupta evanescit. Adultior factus et succrescens pileus conum obtusum admodum dilatatum adhuc format, margine contracto vel quasi crenulato, quin et senescens in semirotundam campanulatam pulvinatam figuram explicatur, umbone seu vertice hinc inde prominulo. Caro totius Agarici parva est, in vertice tamen copiosior, versus marginem fere penitus in membranam evanescens. Extus pileus dilute fuscus seu ochraceo-ferrugineus in carneum tendens, per superficiem nudus laevis, a subjectis et pertingentibus lamellis quasi leviter striatus.

Lamellae pileum situ et directione parallelae sequuntur, stipiti affixae. Ex principio angustiore seu apophysi intra sulcos stipitis immissa, prope stipitem decurrunt, ultra quem circa pilei circiter medietatem expanduntur et quidem triplici ordine. Inter duas enim longiores et latiores, alterne breviores, plerumque a stipite ad peripheriam pilei ductas, alia depressior, vel quasi rudimentum lamellae, sita est, sensimque a peripheria stipitem versus decrescit. Color ex albido levissime carneus. Substantia tenuis fragilis.

Magnitudo plantae ipsius varia est. Iuvenilis enim unciam non penitus explens, demum adultior facta dimidium pedem plerumque superat, non raro integrum pedem attingit, quin et frequenter excedit. Mediam magnitudinem sistit tabulae limitatum spatium.

Odor plantae recentis praesertim pilei intra digitos contriti acris, ad deflagratum sulphur quasi accedens.

Duratio extra fodinas brevis, marcescit Fungus subito nisi aquam in se comprehendens, corrugatur, remanente tamen stipitis et pilei aliqua substantia ac figura.

Habitatio in fodinis Hercyniae zwischen Gabriel und Dorothea, im 13 Lachter Stollen, aliisque locis columnis ligneis semiputridis gregatim adnasci amat.

OBSERVATIONES.

Adnascuntur et depicta exhibentur in ejusdem ligni putrescentis particula alia duo vegetabilia subterranea e Rhizomorphae genere, quorum unum albescens in omnibus fere convenit cum Lichene subterraneo, filamentoso ramoso, tereti albido versus basin lutescente et ubi adhaeret rubro fucato Willd. Flor. berol. n. 1040; Alterum nigricans cum Lichene radiciformi, filamentoso, tereti ramosissimo glabro radiciformi Ejusd. auct. l. c. Var. β ramis planis, quae ab altera varietate ramis teretibus, praecipue horizontali ramorum situ et anastomosi differre videtur. Illam ex alpinis austriacis inter variarum arborum corticem reptantem a cl. Trattinick lectam accepi, adnexa hac observatione, quod rustici illius regionis ut specifico ad sistendam equorum diarrhaeam interne uti soleant.

AGARICUS UNDULATUS.

Tabula IV.

Agaricus undulatus, acaulis resupinatus inferne villosus fasciatus rufus, superne lamellatus: lamellis margineque undulatis.

Cespites plerumque efformat ex multis inter se connexis, superimpositis, proliferis, pressissime sibi adnatis pileis, adeo ut ex communi radice oriri videantur, bipollicares, palmares. A primo fere originis principio usque ad varios incrementi gradus pileus resupinatur. Aliis vertex existit orbicularis, aliis semiorbicularis vel oblongus, aliis dilaceratus vel lobatus, aliis margo integer, aliis crenulatus, plus minusve tamen undulatus. Sunt quaedam exemplaria quae erecta surgunt, sunt alia quae inclinantur, pileo in formam infundibuliformem quasi contracto, vel multis pileis in unum corpus coalescentibus, retrorsum, antrorsum flexis. Aliquibus contrahitur basis in stipitem quasi brevem, et novus pileus e margine vel basi eductus prioris, proliferam exhibet faciem.

Superficies prona seu extima in omnibus tomento brevi ex rufo aureo vel fusco, quin etiam nigricante compingitur; rarius aequabilis, frequenter ex protuberantibus vel ramulosis excrescentiis componitur zonisque concoloribus distincta esse solet. Marginis limbus dilutior vel integer aequabilis, vel crispatus crenulis aut spinis sursum directis vestitus; sicuti ex tota superficie supina, ita ex singulis fissis lamellis laciniae ut spinulas breves aduncas sursum directae exstant, unde ista asperitas, digito pone ducto occurrens.

Superficies aversa seu supina, sicuti pallidior vel tamen margini concolor, ita ex innumeris stricta est lamellis, quae ex communi centro ut radios circuli, usque ad oras marginis pertingunt. Lamellae compressae dense sitae, rigidae, undosae, sinuoso - implexae vere labyrinthiformes inter se connexae, marginem versus latitudine decrescentes. Aliae totum radium pilei describunt, aliae dimidiam quartamve partem, aliae pro dimensione vel expansione pilei dilaceratae, vel in latos aculeos quasi fissae, imbricatos, aliae in tubulosa spatiola connatae; colore omnes sunt plus minusve ex fusco cinnamomeo, hinc inde rufescente, a pilei substantia inter spatiola emicante, altius tinctae, saepe albo polline quasi Bysso incana circumlinitae.

Lamellae pileum situ et directione parallelae sequuntur, stipiti affixae. Ex principio angustiore seu apophysi intra sulcos stipitis immissa, prope stipitem decurrunt, ultra quem circa pilei circiter medietatem expanduntur et quidem triplici ordine. Inter duas enim longiores et latiòres, alterne breviores, plerumque a stipite ad peripheriam pilei ductas, alia depressior, vel quasi rudimentum lamellae, sita est, sensimque a peripheria stipitem versus decrescit. Color ex albido levissime carneus. Substantia tenuis fragilis.

Magnitudo plantae ipsius varia est. Iuvenilis enim unciam non penitus explens, demum adultior facta dimidium pedem plerumque superat, non raro integrum pedem attingit, quin et frequenter excedit. Mediam magnitudinem sistit tabulae limitatum spatium.

Odor plantae recentis praesertim pilei intra digitos contriti acris, ad deflagratum sulphur quasi accedens.

Duratio extra fodinas brevis, marcescit Fungus subito nisi aquam in se comprehendens, corrugatur, remanente tamen stipitis et pilei aliqua substantia ac figura.

Habitatio in fodinis Hercyniae zwischen Gabriel und Dorothea, im 13 Lachter Stollen, aliisque locis columnis ligneis semiputridis gregatim adnasci amat.

OBSERVATIONES.

Adnascuntur et depicta exhibentur in ejusdem ligni putrescentis particula alia duo vegetabilia subterranea e Rhizomorphae genere, quorum unum albescens in omnibus fere convenit cum Lichene subterraneo, filamentoso ramoso, tereti albido versus basin lutescente et ubi adhaeret rubro fucato Willd. Flor. berol. n. 1040; Alterum nigricans cum Lichene radiciformi, filamentoso, tereti ramosissimo glabro radiciformi Ejusd. auct. l. c. Var. β ramis planis, quae ab altera varietate ramis teretibus, praecipue horizontali ramorum situ et anastomosi differre videtur. Illam ex alpinis austriacis inter variarum arborum corticem reptantem a cl. Trattinick lectam accepi, adnexa hac observatione, quod rustici illius regionis ut specifico ad sistendam equorum diarrhaeam interne uti soleant.

AGARICUS UNDULATUS.

Tabula IV.

Agaricus undulatus, acaulis resupinatus inferne villosus fasciatus rufus, superne lamellatus: lamellis margineque undulatis.

Cespites plerumque efformat ex multis inter se connexis, superimpositis, proliferis, pressissime sibi adnatis pileis, adeo ut ex communi radice oriri videantur, bipollicares, palmares. A primo fere originis principio usque ad varios incrementi gradus pileus resupinatur. Aliis vertex existit orbicularis, aliis semiorbicularis vel oblongus, aliis dilaceratus vel lobatus, aliis margo integer, aliis crenulatus, plus minusve tamen undulatus. Sunt quaedam exemplaria quae erecta surgunt, sunt alia quae inclinantur, pileo in formam infundibuliformem quasi contracto, vel multis pileis in unum corpus coalescentibus, retrorsum, antrorsum flexis. Aliquibus contrahitur basis in stipitem quasi brevem, et novus pileus e margine vel basi eductus prioris, proliferam exhibet faciem.

Superficies prona seu extima in omnibus tomento brevi ex rufo aureo vel fusco, quin etiam nigricante compingitur; rarius aequabilis, frequenter ex protuberantibus vel ramulosis excrescentiis componitur zonisque concoloribus distincta esse solet. Marginis limbus dilutior vel integer aequabilis, vel crispatus crenulis aut spinis sursum directis vestitus; sicuti ex tota superficie supina, ita ex singulis fissis lamellis laciniae ut spinulas breves aduncas sursum directae exstant, unde ista asperitas, digito pone ducto occurrens.

Superficies aversa seu supina, sicuti pallidior vel tamen margini concolor, ita ex innumeris stricta est lamellis, quae ex communi centro ut radios circuli, usque ad oras marginis pertingunt. Lamellae compressae dense sitae, rigidae, undosae, sinuoso - implexae vere labyrinthiformes inter se connexae, marginem versus latitudine decrescentes. Aliae totum radium pilei describunt, aliae dimidiam quartamve partem, aliae pro dimensione vel expansione pilei dilaceratae, vel in latos aculeos quasi fissae, imbricatos, aliae in tubulosa spatiola connatae; colore omnes sunt plus minusve ex fusco cinnamomeo, hinc inde rufescente, a pilei substantia inter spatiola emicante, altius tinctae, saepe albo polline quasi Bysso incana circumlinitae.

Natura ipsius Fungi spongioso-tomentosa, cultris resistens si scinditur, in sicco minus flexilis rigidior, transversim secta intus ut sericum splendens, ex fusco cinnamomei coloris.

Duratio perennis; etiam post multos annos immarcescibilis.

Habitatio in semiputridis lignis trabibus fodinarum Hercyniae, altitudine saepe 100 pedum, a solo et sole distans.

OBSERVATIONES.

Multiplex ac variabilis est hujus Agarici facies, quae a resistentia vel forma quoque corporis obstantis eruptioni et augmento pendere reperitur, quod etiam in superterrenis exemplaribus secundum materiei occurrentis renisum accidere solet. Agaricus hirsutus Schaef. hist. Fung. p. 33. t. 76, Agaricus asserculorum Batsch, Elench. Fung. p. 95, Agaricus sepiarius Wulf. in Iacq. Coll. I. p. 349, multis quidem modis cum nostro consentire videntur; at non sine omni dubitatione haec proponimus, aliaque consulto omittimus synonyma, quae circa Fungum tot varietatibus subjectum multis premuntur difficultatibus. Adnotatione digna est ea memorabilis varietas prolifera, ubi alter ex alterius margine quasi e pedunculo peculiari, infundibuli acquirit formam, lamellis exterius per longitudinem pilei decurrentibus.

SPHAERIA TRICHODERMA.

Tabula VI.

Sphaeria Trichoderma, aggregata sparsa, sessilis, conica, membranae tomentosae innascens.

Expansio membranosa, innumeris fibris byssinis contexta ex cinereo luteo et aurantio variegata. Superficies hinc inde a subjecto ligno rugulosa striata, granulosa a minutissimis sphaerulis gregatim pronascentibus, dilute sanguinei et aurantii coloris, in basi mucida sessilibus. Ex hoc enim tomento distincte orta et in eo radicata, quod nudus oculus vix percipit, ostendit vitrea lens, corpuscula, basi globosa, sensim vero conica seu inverse pyriformia, fibris byssinis quasi subtilissimo tomento obvelata. Quamdiu color sanguineus vel cinnabarinus in sphaeriis dominatur, tamdiu intus merum humidum gelatinosum exhibent, quod per siccitatem ex orificio tenui ut farinosam albam materiem emittunt, hinc inde per superficiem in glomerulos dispersam. Haec massa ad lentis majoris augmenta considerata et aqua diluta, pro more hujus generis ex innumeris lomentis seu articulatis pellucidis thecis, radiatim intra fibrosam gelatinam divergentibus componitur, quae in plerisque succedunt articulatim intusque continent seminiformia corpuscula per paria collocata. Temporis progressu exsiccatae sphaerulae nigrescunt, tenuioris et membranosae, pellucentis ad lentem fabricae, diu satis tamen persistente expansione byssino - tomentosa.

OBSERVATIONES.

Ex fodinis Hercyniae 130 Lachter et altius a terra remotis, in vetustissimis plenariae destructioni proximis lignis collectam habeo, sub dio nondum observatam. Synonymum certum apud auctores non invenio, vel saltem non audeo addere, aliquo modo tamen ratione habita coloris respondet: Sphaeriae miniatae, in altera parte Flor. germ. t. 12. fig. 1, depictae; tomentosa expansione vero: Sphaeriae byssidae, Tode, Fung. mecklenb. 2. t. 9. fig. 69, 70. Ab utraque de caetero satis diversa.

PEZIZA HYALINA.

Tabula VI.

Peziza hyalina, sessilis sparsa, aquoso - hyalina glabra.

E basi contractiore pedunculum brevem mentiente, aucto diametro in acetabulum seu patellam dilatatur vix unam alteramve lineam emetientem, modice cavam, sensim in umbilicum depressam, lineolis concentricis dilutioris coloris interdum notatum. Margo aequalis circularis, per siccitatem potissimum leniter flexuosus. Superficies laevis uniformis. Color dilute corneus, aquose pellucidus. Substantia tenuis ceruminosa diaphana. Haec dissecta, etsi difficulter sub ea parvitate tractetur, et lenti maxime augenti subjecta, filamentosam interne ostendit compagem tenerrimam, pellucidam, cui immiscentur utriculi indiscernibiles fere propter pelluciditatem et exiguitatem, corpuscula, pro more hujus generis, intus seriatim collocata seminiformia recondentes.

Duratio perennis; exsiccatione parum mutata diuque supermanere videtur. Ejusmodi enim simplicissima vegetabilia conservo, quae rigorem plurium annorum absque mutatione superaverant; aqua irrigata iterum reviviscunt; colorem dilute corneum adhuc retinent.

Habitatio in trabeculis ligneis semiputridis fodinarum Hercyniae, ultra 100 Lachter a terra remotis.

OBSERVATIO.

Nomen genericum non excuso a Linneo olim receptum, at non plenarie definitum. Notae generis peculiares consistent in externa potius forma, fugaci utplurimum vita, velo masculino utriculisque inter se vix aut parum cohaerentibus, stupae filamentosae implicatis. Iisdem etiam notis sufficienter distinguetur ab ordine Lichenum, cui neganda non est summa cum illo convenientia atque vicinitas. Octosporae characteres, quas ab utriculis, seminibus octo foetis desumserat cel. *Hedwig* uniceque veris Pezizis attribuerat suis, aliis etiam non paucis Fungis, Phallo esculento, Sphaerobolo, Helvellis plerisque, imo etiam Sphaeriis quibusdam competentes observo. Synonymum aliquod indubium subjicere ausus non sum, noluique miscere alias forsitan distinctas species, vel varietatum censui et proinde neglectui exponere.

PORIA STALACTITES.

Tabula VII.

Poria Stalactites, effusa, conglomerata, pulvinata, ferruginea.

Cespites plerumque efformat ex multis inter se connexis, superimpositis, pressissime sibi adnatis glomerulis subglobosis, angulatis poris undique exasperatis. Aliis vertex existit pulvinatus, aliis dilaceratus proliferis, vesparum nido ex arbore pendenti saepe similibus, pororum tubulis effusis conspicuis parallelis, convergentibus, dimidiatis, confluentibus. Tuberculorum intervalla excavationes in superficie poris subangulatis quavis parte similes, etiam foramina majora spatiolis rotundis divisa exhibent.

Color varius, ex albido rufus, umbrinus, subfuscus, ferrugineus; hinc inde per tubulorum spatiola sanguineus.

Substantia parum cohaerens, sicca inter digitos friabilis, sparsim tomentoso-fibrosa; intus albida, solida, cultello recens tentata renitente.

Duratio perennis, extra fodinas praeter colorem altius tinctum vix ac ne vix quidem mutatur.

Habitatio in fodinarum Hercyniae columnis ligneis semiputridis 130 Lachter et altius a terra remotis, gregatim adnasci amat.

OBSERVATIONES.

Synonymum certum apud Auctores non invenio, vel saltem non audeo addere, etiamsi habita ratione figurarum non male responderet Fungis quibusdam indeterminatis, in Scopolii dissertatione de plantis subterraneis t. 48. delineatis. Particula hujus Fung in tabula nostra dextrorsum picta, spatiola tubulorum exhibet, ad lentem vitream modice augentem considerata.

PORIA ECHINATA.

Tabula VIII.

Poria echinata, effusa nivea, pulvinata, scruposa, echinata.

E substrata longe lateque expansa nivea fungosa superficie, pororum tubulis conspicuis parallelis, dimidiatis, oblitteratis percursa, extuberant solida alba pulvinata, corpuscula, e tuberculis veluti coadunatis subglobosa, vel in cellulas seu foveas depressa, quasi scruposa offerunt spatiola. Praeter corpuscula haecce eodem tempore et in eadem vel distincta crusta pronascuntur rotunda hemisphaerica nivea alia, quae in aculeos seu potius breves coniformes verrucas exasperantur. Haec formam utique retinent notabilem suam, Echino similem, aliquando tamen etiam mutant, praesertim si subrotundam formam antea gesserunt et a proximitate suppeditantem materiem acceperunt. Per lentem satis augentem visa, superficiem foveolis reticulatam, interdum quasi tuberculatam vel cristatam monstrant, pororum tubulis plus minusve tamen semper conspicuis.

Substantia intus solida alba tomentosa fibrosa adparet transversim secta. In quibusdam varia ac inaequalia occurrunt lacunosa spatiola, quae exacte iis foveolis externis respondent, ovalia, oblonga. Intra haec tubulorum pori, spongiosa ac fibrosa compage repleti.

Duratio perennis, exsiccatione parum mutata. Colorem niveum etiam post multos annos tenaciter retinet. Solis radiis exposita hinc inde albescit, sordidum acquirit ex fusco flavescentem colorem.

Habitatio in trabeculis ligneis semiputridis fodinarum Hercyniae, ultra 100 Lachter a terra remotis.

OBSERVATIONES.

Synonymum aliquod indubium subjicere ausus quidem non sum, tamen prae reliquis hujus loci esse videtur: Boletus botryoides, subglobosus niveus, tuberculis fimbriatis exasperatus, poris rarissimis obsitus Humbold. Flor. trib. p. 103. t. 3. fig. 9. Nec non Fungus tuberosus Scop. l. c. t. 46. fig. 1. Adnotatione peculiari digna est ea memorabilis varietas undique lacunis excavata, intersparsis frequenter etiam tubulorum orificiis, cujus specimina sistunt solitaria Tab. XI. Fig. 1. 2. et Tab. XII. Fig. 3. sinistra, quae ob molliorem compagem, constantem foveolarum praesentiam, etiamsi communis ortus, cum iis echinatis, suspicionem transitionis injiciat, tamen meretur ut interea peculiari nomine triviali dicatur:

Poria favoginea, acaulis pulvinata alba foveis excavata.

PORIA SCUTATA.

Tabula IX, X. Fig. 1.

Poria scutata, coriaces-suberosa marginata flexuosa fusca, interstitiis albida.

Magnitudo aeque variabilis ac totius Fungi mutabilis forma. Ab unciali usque ad bipedalem latitudinem extenditur. Primordia expansionem scutiformem seu patellam imitari solent, convexam, excavatam varieque flexam. Illa successu temporis capaciora fiunt subrugosa, monticulosa, adnascentibus aliis scutis augmentata, margine tamen semper plus minusve flexuoso. Inde fit, ut eadem texturae primordialis substantia crassitiem saepe acquirat insignem, figuram vero satis incertam ac tuberculosam. Occurrunt enim specimina perspicilli in modum connexa, quibus immiscentur alia varie imbricata et inter se flexa. Cespites tum plerumque efformant ex multis inter se connexis, superimpositis, proliferis, pressissime sibi adnatis scutis, palmares, pedales. Aliquibus contrahitur margo, intumescit, in aliis explanatur deflexus evanescit.

Superficies prona seu extima in omnibus ad nudos oculos glaberrima corrugata: rugis crassis tumidis zonisque saepe concentricis vel alienis Rhizomorphis percursa esse solet.

Superficies aversa seu supina colore saturatiore ex fusco cinnamomeo, leniter rufescente tincta, frequenter lacteo candore circumlinita vel per spatiola distincta innumerisque poris pertusa. Alii totam superficiem occupant, alii dimidiam quartamve partem, vel in albis spatiolis tantum resident. In junioribus et vetustissimis exemplaribus saepius desunt. Obliquis ac minutis orificiis aperiuntur, pressissime connati, sparsi semiaperti tubuli, ultimo oblitterati.

Natura ipsius Fungi coriacea spongiosa, cultris resistens si scinditur, in sicco rigidior fibroso-suberosa; transversim secta intus solida nivea, albida, pallida; ex fusco demum cinnamomei coloris, destructa remanente utroque cortice fragili.

Duratio perennis, etiam post multos annos immarcescibilis. Habitatio in semiputridis lignis trabibusque fodinarum Hercyniae, altitudine saepe 100 pedum a solo et sole distans.

OBSERVATIONES.

Multiplex ac variabilis hujus Fungi facies, a resistentia vel forma corporis obstantis eruptioni et augmento annisque pendere reperitur. Prima varietas indigitat: Poriam

scutatam, tenuiorem, coriaceo-lignosam, ellipticam, plicis seu potius circulis marginalibus, concentricis porisque albis compositam Scopolii, in Dissertatione de plantis subterraneis p. 106. t. 27. utpote non valde a tertia diversam sic dictam. Altera pelviformem quasi acquirit faciem, uti eam exhibet Tabula nostra X, substantia crassiorem. Tertia perspicillum imitans, lignosa fusca, marginata ex binis connatis constans, quae maculas albas intra substantiam fuscam coercent, quacum specimen perspicillo aemulum Scopolii l. c. t. 21. fig. 1. consentire admodum videtur. Ultima est ea memorabilis et peculiaris varietas prolifera, ubi alter ex alterius centro quasi e pedunculo convoluto, infundibuli acquirit formam, in pedalem et majorem demensionem excurrentem. Sub hac forma usque intermedia specimina transitionis suspicionem confirmaverint, meretur ut peculiari nomine distinguatur:

Poria Cornucopiae, prolifera imbricata convoluta, margine dilatata flexuosa sinuata.

In tabula nona variae exhibentur formae, quas vegetabile nostrum a primo fere originis principio, usque ad varios incrementi gradus induere solet.

GYMNODERMA RADIOSUM.

Tabula X. Fig. 2.

Gymnoderma radiofum, explanatum, coriaceum fusco ferrugineum, utrinque tomentofum, margine laciniatum.

Expansio hujus Fungi undique per ambitum radiosa arcte ligno putrescenti adnascens. Haec laciniata corpuscula, formam utique retinent notabilem appendiculis similem, vel simplicibus vel repetito compositis incisis crenatis, incrassatis. Superficies utraque aequabilis quidem, substantia tomentoso-fibrosa, superior tamen hinc inde monticulosa, ex laciniis marginem versus in orbem productis denuo oblitteratis quasi composita. Interior solita textura coriacea magis quam spongiosa, fibrosa tamen cultello dissecanti resistens, fusco-lutescens vel nigricans cum fuscedine.

Color coincidit cum toto Fungo primis temporibus, ex pallido ochreus, demum ex fusco nigricans. In sicco Fungo pruinosus adparet et subcinereus per superficiem adspersus.

Duratio perennis, parum mutatur, etiamsi extra fodinas sicca tempestas humiditatem Fungo adimit.

Habitatio in fodinis Hercyniae 100 Lachter Tiefe, auf dem Zellerfelder Zug, in der braunen Lilie, ligno semidestructo adnasci solet.

OBSERVATIONES.

Thaelaephorae novum genus construxerat cel. Willdenow (Flor. berol. 396.) diciturque illi Fungus inferne papillas loco foraminum vel lamellarum proferens; Corticium vero Persoonio (Röm. n. Mag. 1. 110.) Fungus pileo oblitterato, hymenio effuso resupinato toto adnexo insructus. Magis arridebat Gymnoderma Humboldii (Flor. frib. 109.) quod huic antea dictum erat Fungo coriaceo vel lignoso explanato utrinque laevi (vel potius similari) neque papillis instructo neque corticeo. Alteram similem speciem observo iisdem in locis a priori substantia haud diversam ad marginem integrum sinuatum gerentem.

PORIA CEREA.

Tabula XI. Fig. 3.

Poria cerea, effusa subimbricata lobata cerea.

In loco natali albida est, per siccitatem sordide flavescit. Imbricatim nasci solet irregulari et undosa saepe expansione, quae aucto diametro pulvinatam acquirit formam varieque flexam ac lobatam, a circumfusa substantia ceruminosa, sicca fragili, cornea, pororum tubulis exsertis admodum exiguis, parallelis, coadunatis, orificiis obliquis hiantibus,

Duratio perennis, exsiccatione contrahitur, remanente tamen figura tubulorum, saepe albo polline quasi adspersa. Aqua irrigata aegre reviviscit, colorem sordidum cerinum non mutat.

OBSERVATIONES.

E fodinis Hercyniae 130 Lachter et altius a terra remotis, in vetustissimis plenariae destructioni proximis lignis collectam habeo, nec amplius obfervatam. Similem vero etiam super truncos in sylvis pronasci, conjicere licet ex brevi descriptione Poriae cujusdam, quae vitrea dicitur, inaequaliter lateque effusa, aquoso-pallida, undulata, subinterrupta, poris obliquis Pers. in Annal. bot. 15. p. 14. Descriptio Poriae cereae in Scopolii dissert. de plantis subterraneis p. 104, satis tolerabilis esset ratione habita coloris ac substantiae, at figura 3. t. 22. non aeque respondet.

CLAVARIA DEFLEXA.

Tabula XI. Fig. 4.

Clavaria deflexa, teres flexuosa simplex, bifurca acuta.

Simplicissima rarius furcata, solida teres glabra, pellucida, flexuosa, apicibus acutis, colore et substantia dilute cornea, e lignis putridis fodinarum Hercyniae descendens, sparsim aut gregatim nasci amat.

PORIA ENCEPHALUM.

Tabula XII.

Poria Encephalum, coriaceo-suberosa explanata, pulvinata, gibberosa, fusco alboque mixta.

Cerebri figuram imitatur fere in varios undulatos lobos divisa, alternis rotundis angulis in gyros quasi sed nusquam profunde distincta. Ita lobuli definiuntur cortice fusco, qui singuli medullam suam edunt colore diverso, utplurimum albido, intricatis tamen inter se et connexis saepe ita lobis ut transitionis limina frustra quaeras. Multis de cetero variat modis. Ab initio placentae formam assumit rotundatam, paucarum linearum crassitie, lignis putridis adnascitur ita, ut plane connata cum iis videatur, crusta nigricans tenacissima. Subinde intumescit, tubera grandia fiunt gibberosa et superimposita.

Substantia et superficies omnibus eadem, coriaceo-suberosa, in foveolas cavata, lacunosa ut in facie variolosa, innascentibus pustulis subtus cavis, vel araneosa tela repletis. Interior nivea, albida, carnosa, fusca et satis firma deprehenditur; valde bibula humidum adlatum lubenter sorbet, fungosa intumescit, cultello dissecanti resistit intusque lineis serpentinis corticeis cavernulisque distincta, quae exacte iis foveolis ac variolis externis superficialibus respondent, ovalibus oblongis semilunatis, coloris dilutioris quam reliqua Fungi substantia, texturae laxioris.

Color ex pallide ochraceo candicans, ex ochreo rufescens, atque tandem sordide fusco et brunneo proximior fit, quem rufo-nigricans ultimo excipit.

Magnitudo aeque variabilis ac totius Fungi mutabilis color. Ab unciali usque ad pedalem latitudinem et altitudinem extenditur. Pauca sunt quae jam ab origine sua poris percursa conspiciuntur integris, vel dimidiatis tubulis, a substantia Fungi mox oblitteratis. Specimina talia fig. 1. et 4, mediam magnitudinem sistit tabulae limitatum spatium.

Duratio perennis, parum mutatur, etiamsi post multos annos extra fodinas sicca tempestas et lucis accessus humiditatem Fungo adimunt.

Habitatio in fodinis Hercyniae, im 13 Lachter Stollen, auf dem Zellerfelder Zug, in der braunen Lilie, aliisque locis copiose ligno semidestructo adnascens.

OBSERVATIO.

Nomen genericum non excuso ab Adansonio et Scopolio olim jam receptum. Notae generis peculiares consistent in superficie legitima neque distincto pileo instructa, at poris, tubulis, foveolis mirum in modum effiguratis.

CLAVARIA CONJUGATA.

Tabula XIII. Fig. 1.

Clavaria *conjugata*, simplex, attenuata, incrassata, subrugosa, basi connata, flavo-rubiginosa.

Ad ligna semiputrida.

Primordia hujus Clavariae caulem simplicem statim imitare solent. Plerumque gregatim, interdum solitarii prorumpunt teretes, subulati hinc inde subramosi, flexuosi vel tamen curvati. Caules strictiores et rugosiores sunt, qui succi pleni bene distentuntur. Exemplaria alia dum vix prodierunt et aliquot uncias explent, magis cylindrica sive teretia plerumque sese offerunt, apicibus incurvis undulato-rugosis, cornuum Antilopes ad instar. Haec gracilia et pumila majoribus miscentur, quorum longitudinis mensura pollices 5 — 6, fere aequat. Istam formam quaedam utique retinent, notabilem satis altitudinem adepta, alia vero circa medium in latius extenduntur, inde fit ut ad oblongam figuram quam maxime accedant, strictiora et rugosiora sint, utraque fine angustiora, nec non basi sua conjugata. Praecipuam mutationem quam aetas causatur, in colore exserit. Color omnium quamdiu recens est ex flavo aliquando in album vergit, rubiginosus vero color albo-temperatus succedit eo magis, quo magis senescit; senex vero totus absoluto fere incrementi termino ochrei coloris, quin etiam subfuscus esse solet. Substantia Fungi generatim notata, a radice ad apicem uniformis est, carne tamen aliarum Clavariarum succosior et humidior existit, sicca fragilis et compactior, contextu celluloso formata.

OBSERVATIO.

Tres nunc plantae formas, facie externa magis quam colore differenter conjungo. Igitur aliqua saltem notamus. Aetatis primum ratio habenda videtur, quippe quae non pauca in planta nostra mutat et notabili modo variat. Simplices multo frequentiores sunt ramosis aut discretis. Ejusmodi specimina quae toto suo corpore teretem sive cylindricam formam sequuntur et post aliquam moram Cornu Damae

seu Antilopes similes recurvantur, quale figura dextra praefert, nobis quidem non adeo frequenter fuerunt. Forma omnium creberrima occurens ea fuit, quae a tereti basi lente sursum modicum quantum attenuatur et in obtusum apicem desinit et simplicem. Exemplaria alia dum vix prodierunt et aliquot pollicis lineas explent cylindrica sive teretia plerumque sese offerunt, apicibus divisis incurvis cornutis, quibus forsitan successu temporis cornua capaciora fiunt. Quae individua divisum corpus habent, ea vel unum alterumve rami rudimentum, seu ad latus apophysin spinae instar, prout vocari potest exserunt. Clavaria *rugosa*, in conspectu Fungorum: auctoribus *Albertini* et *Schweiniz*, p. 288, superficie constanter rugosa dicitur. Rami vel nulli, vel pauci polymorphi, in aliis erecti, subflexuosi, obtusi, in aliis acuti uncinati secundi, cornuum Antilopes ad instar etc. Potuissem certe ex aliquot centum, quae passim in subterraneis conquisivi, multo plures praesertim adultiorum in medium proferre icones, et prout mihi videbatur, ejusdem prosapiae; spero tamen eas, quas dedi suffecturas esse ad penitiorem cognitionem Clavariae multiformis.

PORIA SPUMA.

Tab. XIII. Fig. 2.

Poria *Spuma*, albida effusa tuberculosa, intercepta poris minutis depressis.

? Boletus tuberculosus. Poria tuberculosa, albida tuberculosa, margine inciso subrepando. *Pers. obs. myc.* 1. *p.* 14. *Syn. Fung.* 2. *p.* 545.

In fodinis ligno putrescenti adnascitur.

Fungus una superficie ligno dissoluto adhaeret firmiter, altera vero elevatur in colliculos et tubercula stalactitia (Flos Ferri) aemulantia, varie divisa. Inter haec pori minuti obliqui vel recti pariter interveniunt. Substantia levissima tota alba, plures uncias lata et satis crassa ex fibrosa cellulositate composita. Etiam sicca eandem quam habebat in loco natali figuram et faciem conservat immutata.

OBSERVATIO.

Praeter *Scopolii* rudas figurationes (plant. subterran. t. 40. t. 41. fig. 2.) vix quidquam certi apud Auctores botanicos recentiores occurrere videtur; quam ob rem synonyma cum dubitatione proponenda aut omittenda fuerunt. Minus etiam frequens videtur vel nobis saltem fuit, cum unice in fodina Hercyniae (der braunen Lilie) anno 1794, occurrerit, ubi sequentibus annis Autumno subinde iterum legimus et pingi ad naturam curavimus. Substantia nulli rei magis quam Spongiae exsiccatae, aut Saponi ex spuma fabrefacto adsimilari poterit.

MERISMA TREMELLOSUM.

Tabula XIV. Fig. 1.

Merisma *tremellosum*, ramosissimum fuliginosum spadiceum, apicibus fastigiatis subulatis crispis.

Clavaria *filamentosa* (antea dicta).

Ad ligna semiputrida.

Primis sub aetatibus situs plerumque erectus est, frequenter tamen prosternitur et propter flaccidam ac tremulam substantiam in cavis subterraneis pendulus. Stipitis seu caulis terminus parum a reliqua portione distinguitur, ad minimum mediam totius plantae longitudinem absumit, in modicum bulbum infra intumescens, rugosum pluries plicatum. Media et summa portio explicari et in Ramariae similitudinem magis procedere incipit inque lobos difformes scinditur, ultimis apicibus varie curvis, subulato - filamentosis transparentibus. Color omnium fuliginoso - spadiceus cum intersperso ochreo et albo esse solet, prope radicem in nigrum alteratur, interim tamen aliquid crocei cum citrino mixti semper servat. Substantia tremellosa. Caro interna albida, solidiuscula.

OBSERVATIO.

Vaillantius primus Clavariae nomen in usum vocavit notante *Schmidelio;* huic autem qui servire debet distinctioni generis suppeditavit characterem *Michelius*, a seminibus minutissimis in externa superficie laevi haerentibus, positum. Coryphaeorum nomine insignivit *Holmskiold*, tam Clavarias quam Ramarias, ab externa forma definitas; quia vero discrimen constans inde vix peti debeat, genera affinia ab iis separavit *Persoonius* et novis characteribus alia circumscripsit. Inter haec ad Merismata retulit omnes fungos ramosos, coriaceos, compressos laeves, apice ut plurimum pilosos, a quibus noster, nisi substantia tremellosa, vix differre videtur.

CLAVARIA NIGRESCENS.

Tabula XIV. Fig. 2.

Clavaria *nigrescens*, adscendens subramosa: ramis teretibus fastigiatis, toroso-nodulosis.

Ad Fungos semiputridas parasitica.

Clava simplex absque dubio primaria plantae pars videtur, media et summa portio in Ramariae similitudinem explicatur: ramis apice vel obtusis vel acutis, varie curvis, alternis, fastigiatis, per totam superficiem teretibus nodulosis. Truncus in modicum bulbum infra aliquando intumescens, vel radiculis paucis stipatus, vix ramis suis crassior. Substantia quamdiu recens est, satis tenax est. Caro interna albida solidiuscula, exterior corticalis in fibras seu strias carnem ambientes terminatur, nullibi vero distincte vesiculosa. Color omnium ex fusco nigricans. Senescentem sponte non observavi.

HYDNUM AGARICINUM.

Tab. XIV. Fig. 3.

Hydnum *agaricinum*, subulis confertis imbricatis candidis.

Aliis destructis Fungis semiputridis fodinarum adnasci solet.

Densis satis et cespitosis subulis oriri solet sibi vario modo imbricatis et adglutinatis, plerumque albicantibus, quae aetate sordidum vel ochreum colorem induunt. Peculiare corpus stipitis, seu subiculum nunquam deprehendi poterit, sed gregatim nascentes subulae occurrebant super Agaricum putrescentem, in quo largiter nutritae sunt. Subulae continuo simplices compactae acutissimae. Substantia mollis fungosa.

OBSERVATIO.

Ad complendam tabulam addimus Fungum, quem anno 1794, in Agarico putrescente videram et pinxeram. Ad Hydni genus retulimus, siquis autem inter Maninas *Scopolii* (Manina cordiformis pl. subt. p. 97. t. 10.) referre maluerit, non disceptabimus. Non omnes varietates divisionum notavi et plures forsan aliis occurrent, corpus vero ex subularum aggregatione efformatum, in nostro magis ovatum et in duas saepe partes divisum erat. Hydnum *fasciculare* et *calvum* (*Alb.* et *Schw.* consp. Fung. p. 269, 271. t. 10. f. 8, 9.) exemplo esse possunt non infrequenter occurrere species alias Hydnorum subiculo nullo.

DEMATIUM FISSUM.

Tab. XIV. Fig. 4.

Dematium *fissum*, confertum subramosum rigidum, apice attenuato integro aut fisso.

Super Fungis exsiccatis. Depictum specimen in particula Boleti subterranei.

Persistens est ex setulis dense positis conflatum, pronascentibus ex Fungi substantia. Communiter primis aetatibus erecta crescit, interdum tamen flectitur, curvatur aut implicatur. Setula vel simplex est vel in alias minores fissa, ad lentem etiam in ramulos tenerrimos hinc inde scissa albicantes, cum reliquus color ex ochreo in dilutam flavedinem transire soleat. Ejusmodi setulae quae toto suo corpore teretem figuram sequuntur, in tenuissimum apicem desinunt. Forma omnium creberrima occurrens ea fuit quae a tereti basi lente sursum modicum quantum attenuatur et varie saepe in tenuissima fila albicantia finditur. Summa longitudinis mensura pollicem cum dimidio aequat. Crassities capillaris est vel tenuior. Substantia uniformis, intus videtur solida, extus hinc inde ad lentem ramulis minutis exasperata, quoad maximam partem tamen laevis, satis firma, sicca, rigidiuscula.

OBSERVATIO.

Isariae character saepe coincidit cum Dematiis, quibus forma byssina indeterminata, erecta aut depressa, subfasciculata aut effusa fila, laevia nec contexta. Inter haec Isaria *citrina*, materie farinacea haud obtecta, trunculo erecto citrino, ramulis tenuissimis pilosis albicantibus — referri meretur, quoad locum natalem et rigiditatem Isaria *agaricina* accedere videtur.

SOLENIA VERTICALIS.

Tabula XV. Fig. 1.

Solenia *verticalis*, elongato-teres subobconica glabra, candida, orificio truncato connivente.

? Solenia *incana* β β, candida. *Albert.* et *Schw.* consp. Fung. p. 346.

Innascitur lignis corticibusque putridis.

Nudis oculis adparent minutissimae albae lineae nigrescenti ligno inductae, quales sinistra figura nativa forma monstrat. Ad lentem modice augentem conspiciuntur alba corpuscula, e ligno cui nequiter adhaerent angustiori basi emergentia, verticali directione in tubulos ampliata, ore contracta truncata, quasi annulata. Superficies aequabilis glabra. Substantia tenuissima, sicca fragilis, tamen persistens. Intus videntur cava.

OBSERVATIO.

Minutissimae fungillorum species lignis putridis adnasci solent, rarius tamen subterraneis. Characteres posuit cel. *Persoonius* in receptaculo submembranaceo elongato utriculiforme ad basin cavo, neque vero Pezizis consociari meruissent, propter omnem thecarum sporulis intus foetarum defectum.

BOLETUS OSTREA.

Tabula XV. Fig. 2.

Boletus *Ostrea*, lateralis subdimidiatus imbricatus, albidus, fascia zonali striisque lateralibus transversis.

Ad ligna putrescentia.

Ex ligno proveniunt utplurimum diametro unciali, sescunciali vel paulo latiori imbricati pilei, crassitie varia. Superficies prona rugulosa est, striata, etiam in quibusdam transversali tenui zona comprehensa, margine undulatim crenulato. Superficies inferior concolor vel paulo saturatiori colore. Pori ex albido-subcinerei, cohaerentes inque substantiam tubulorum forma excurrentes, quorum orificia ad lentem subrotunda vel subangulosa inflexa conspiciuntur. Substantia totius fungi vix aliquot lineas crassa, mollis subcarnosa flexilis. In altera varietate cujus supinam faciem dextra figura sistit, stipes brevissimus lateralis, superficies colliculosa, pulvinata ex cinnamomeo et albido variegata. Pori oblongi in tubulos procedunt ejusdem coloris.

GYMNODERMA FAVOSUM.

Tabula XVI. Fig. 1.

Gymnoderma *favosum*, latissime expansum, coriaceum, subfuscum, reticulatum eroso - cellulosum.

? Sistotrema *cellare:* crassiusculum ferrugineum subtus membranaceum molle, dentibus angulatis congestis. *Pers. Syn. Fung.* 2. *p.* 554.

Ad ligna semiputrida et trabes, in vetustissimis fodinarum cuniculis.

Fungus ad plurium pedum distantiam prorepens, in membranam expansus duas aut tres lineas crassam, versus marginem obtuse lobatam ac tenuiorem, aequabilem. Ex hac tota superficies formatur et cellulis vel scrobiculis variae formae componitur. Sunt nempe parvi scrobiculi modo rotundi, modo angulati, variae formae qui plicis monticulis seu potius lamellis interjectis excipiuntur et conjunguntur, tam inter se quam inter lamellas, denticulis mollibus varie directis, productis, subimbricatis, erosis, tuberculatis, coeuntibus in triangularem aliamque figuram. Haec cellulositas favoginosam structuram aliquo modo imitans, versus marginem desinit et per longum et latum rugis communicantibus inter se exaratur. Interior substantia tota quanta fungosa est mollis fibrosa ac flexilis, exsiccatione magis tenax, facile tamen rumpenda. Supina facies aequabilis, a subjecto ligno cui tenaciter adhaeret impressas lineas ac rugas accipit. Color subfuscus sensim in ochreum vergere et dein in cinereum et dilatissime lutescentem versus marginem abire solet.

GYMNODERMA RUGOSUM.

Tab. XVI. Fig. 2.

Gymnoderma *rugosum*, latissime expansum, coriaceum, fusco-luteum, gyroso-rugosum.

Ex fodinis 130 orgyas et altius a terra remotis, vetustissimis plenariae destructioni proximis lignis, adnascentem cum priori accepi. Membrana pedes aliquot latitudine aequat, mollis ac si sericum tangeres succisum (ad lentem etiam sicca non aliter adparet), satis tamen tenax et ruptioni resistens, crassitie inaequali. Ab expansione byssacea cinereo-albida transit in crassiorem substantiam, coloris vitellini et in rugas elevatur implicatas gyrosas, manente substantia exteriore teneriore, inde fit ut frondes modicam crassitiem habeant in centro, plerumque penitus aut maxima ex parte obliteratam in margine. Rugae etiam densius ponuntur interdum quam icon monstrat, vel deprimuntur sic ut tota superficies in vetustissimis exemplaribus puculata vel scruposa magis sit quam rugosa. Praecipuam mutationem in colore exserit. Membranae enim dum oriuntur, multum albedinis inter dilutissimam flavedinem habent, mox in aureo-flavum et aurantium transeunt colorem, albo temperatum, qui sensim in ochreum et dein in brunneum vergere, quin etiam fusco misceri incipit. Interior textura et reliqua substantia uniformis priori non dissimilis.

OBSERVATIO.

Hic ordo Fungorum una cum variis aliis vix amplius inter genera consueta (Thelephora, Merisma etc.) referri poterit, cum substantiam aliquo loco possideat a reliquo corpore distinctam, structura et reliquis attributis diversam. Thelephora *Cerebella:* undulato-gyrosa albicans, pulvere ferrugineo adspersa — nec papillata — ad hanc cohortem forsan esset amandanda. Generatim difficilis admodum determinatio est, num Fungus hac vel illa forma aut fabrica nascatur, an potius varias ob causas mutari possit? — Forte omnia notabiliter mutantur per aetatem et locum natalem, praesertim si idem Fungus extra fodinas repertus fuerit.

TREMELLA GYROSA.

Tabula XVII. Fig. 1.

Tremella *gyrosa*, compacta viscosa, undulato-gyrosa, sublobata, brunneo-atra.

In lignis semiputridis.

E ligno fisso primo extuberant glomeruli hemisphaerici in gyros varie flexi, qui brevi tempore rotundam pulvinatam variamque induunt formam, unciali sescunciali diametro. Increscunt et mesenterii ab intestinis separati figuram acquirunt, magis tamen compactam, hinc inde dilaceratam, laciniis a ligno discedentibus, undulatis, sinuatis, rotundatis varie plicatis ac flexis. Crassities totius glomeris saepe aliquot uncias exsuperat, singularum laciniarum vix lineam unam alteramve attingit. Superficies nitida similaris. Color saturate nigricans cum admixto brunneo. Natura tremula ut fabrile glutinum, mollis ac tenax.

OBSERVATIO.

Cel. *Roth* Tremellas *Linnaei* aliorumque auctorum in nova genera separandas jure meritoque credidit, et Tremellae nomen servavit istis Fungis quibus substantia uniformis, gelatinosa, hyalina, integumento membranaceo induta: fructificationum granulis in membranae contextu fibroso absque ordine sparsis. (Cat. bot. 3. p. 347.)

HIMANTIA VILLOSA.

Tabula XVII. Fig. 2.

Himantia *villosa*, simplicissima filamentosa nigra, villo brevi rufescenti tecta.

Innascitur passim truncis lignisque udis, praesertim pineis et abiegnis, discedens, sublibera, sed parum frequens.

Vario modo et textura obducit ligna subterranea, percurrit alia vegetabilia iisque adhaeret. Rarius subteres, utplurimum valde compressa e radice quasi oblonga tuberosa simplicissima provenit, capillo tenuior vel crassior simpliciuscula; primo repens, dein assurgens, libera, implexa. Extus hinc inde villo denso brevi rufescenti obtegitur, dum crassioribus filis, in aliis deterso tenuioribus glabris, nitentibus, nigrescentibus.

OBSERVATIO.

A Rhizomorphâ affatim distat habitu, superficie villosula, defectu substantiae internae mollis fibrosae. Esset Usnea villosissima *Scop. subt. t. 7.*, sed haec ramosa valde, nostra vero simplicissima lora in illa pedalis et longior rufa longisque villis ubique hirta, in nostra brevior ad lentem (ut in figura sinistra fili particula conspicitur) distinguenda. Teneritas, ramorum decursus prorsus himantiformis non erit dicendus.

AGARICUS CONCHA.

Tab. XVII. Fig. 3.

Agaricus *Concha*, stipite marginali, pileo dimidiato, umbonato, obovato, spadiceo; lamellis concoloribus.

Ad ligna fodinarum putrida.

Solitarie crescere amat, interdum tamen bini stipites basi uniuntur. Pileus in ipsa ligni intima substantia orditur turbinatus, pyriformis, modice concavum verticem constituit, superficie exteriore parum conspicua, sed lamellis in centro contractis, postea explicatis, dubium vix relinquunt, quin tota uniformis in principio fuerit et saltem postmodum acquirere figuram propositam incipiat. Tunc quidem superficies exterior communiter modice convexa aut umbonata est, magis magisque expanditur et augetur, margine contracto vix amplius resistente et denique fisso. Pars inferior stipitem mentitur lateralem cylindricum brevem, lamellis intra basin confluentibus, elongatis, divergentibus, simplicibus, infrequenter nisi ab origine, alternis minoribus laminis, junctis. Color e spadiceo fuscus, dum junior pallide ochraceus. Interiorem carnosam substantiam, ea ipsa quoque dextra figura sistit.

BOLETUS FLABELLUM.

Tabula XVIII. Fig. 1.

Boletus *Flabellum*, stipite marginali, pileo dilatato lobato candido, utrinque plano, poris concoloribus.

Destructis fodinarum lignis adhaeret.

Magnitudo hujus fungi varia est, juvenis enim semipollicaris vix est, minima vero adultorum 3 — 4 pollices plerumque superat. Stipes vix distinguendus, per aetatem succrescit et in unum latus magis inclinat. In quibusdam statim pileus producitur, ab initio figuram oblongam vel ovatam mentiens, caulis termino tum vix distinguendo, ubi subito coarctatur, reliqua parte explanata, varie lobata subimbricata. Pro modulo quo pileus elevatur, marginis paries satis tenuis et irregulariter secta deprimitur, adultior succrescens loborum instar lacera dependet. Pilei inferior pars dense congestis struitur tubulis seu poris; ad marginem pauciores et minores vel parcissimae vel nullae omnino proveniunt ibique membrana marginis vere sola supertenditur. Quo magis vero umboni adpropinquant, eo majorem carnis quantitatem sub se custodiunt. Caro totius Boleti hujus, pro molis ratione parca est, maxima parte a porosa substantia absumitur, in umbone tamen copiosior. Alba de caetero est, flaccida, exsiccatione compacta subcoriacea. Tubuli interrupti, congesti, ad lentem orificia integra, obliqua, dimidiata saepe exaesa, obliterata, utrique superficiei candidissimae concolora, vel aetate in ochreum colorem vergentia.

OBSERVATIO.

In quibusdam pileus ex latiori paullo basi eandem mensuram continuat usque ad stipitis proximitatem, in aliis imbricatis cum Poria Ostrea *Scop. subt. t.* 24. aliquam similitudinem habet. Eidem ligno in suprema figura adnascitur:

Himantia *pinnata*, tenerrima filamentosa complanata candida, fibrillis ramosis pinnatisve.

? Rhizomorpha *vestita*. *Rebentisch*, ind. pl. berol. pag. 46. n. 1592.

RHIZOMORPHA CANALICULARIS.

Tabula XVIII. Fig. 2.

Rhizomorpha *canalicularis*, loris teretibus flexuosis rugosis, flagellis longissimis, ramis verticillatis, radicantibus.

Rhizomorpha *canalicularis.* Comment. Societ. Reg. Scient. Gotting. ad A. 1793 et 94. Vol. XII. p. 35.

In fodinarum Clausthaliensium canalibus, inque tubulis et asseribus aquas deducentibus, quarum ductum sequitur ad 10—20, ped. longitudine protensa. Auf dem Burgstätter Zug in einer Tiefe von 150 Lachter, auf dem Zellerfelder Hauptzug.

Trunci seu lora pennae anserinae crassitie decumbunt, ligno putrescenti adnascuntur, horsum vorsum flexa, rugoso cortice nigricante, exasperata, intus fibroso-tomentosa. Ab initio ad pedes aliquos nuda, dein in numerosa flagella divisa, quae progressu fiunt longiora et ramosissima, filiformia, incrassata, e cubitali ad orgyalem saepe longitudinem simplicissima, dein verticillatim multiplicata, repetita pluries divisione, fastigiata. Caeterum flagella rami et ramuli teretes, flaccidi, nec satis laxe nec satis dense implexi, fluctuantes simplicissimi. Color ex cinereo nigricans, vel plane niger, sine nitore intra aquam. Superficies spinulis simplicibus seu radiculis fissis, frequentius radicem versus exasperata, quibus flagella et rami vel inter se vel parasitice tubulis canalium implantantur. Cortex tenuis, per siccitatem hinc inde quasi corrugatus, stramineus levis, fragilis, tamen cohaerens, glaber, fusco-nigricans. Substantia interior filamentoso-fibrosa nivea, quasi sericea, sub cortice rufescens.

OBSERVATIO.

Sectione transversali per lorum s. truncum instituta, lignescentem medullosam partem per circulos quasi distinctam videmus. Saepe in tantam ramorum multitudinem excrescit ut canales ex iis obdurentur, aquarum flumen impediatur; quare molestissimam ac infensam canalium hospitem eradicare student Clausthalienses fossores metallici et molem saepe horrendam ambitum pedis superantem ac longitudine totius fere canalis evellunt ac dejiciunt.

Tab. I.



Tab. II.



Tab. III.



Tab IV.



Tab. V



Tab. VI.

1




2



Tab. VII.







Bock sc.

Tab. IX.




Tab. X



Tab XI.



Tab. XII.



Tab. XIII.



Tab. XIV.



Tab. XV.

1



2




Tab. XVI.


1



2




1
2
3



1
2